



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Meyeri S. Literarum Doct. & Prof. Uxor  
Christiana Sive De Conjugio Inter Duos Deque Incestu Et  
Divortiis, Dissertationes Tres**

**Meier, Johannes**

**Amstelædami, 1688**

Illustrissimis Comitibus Ac Dominis, Domino Simoni Henrico Comiti Regenti  
Et Nobiliori Domino In Lippia ... Ac Domino Casimiro, Comiti Et Nobiliori  
Domino In Lippia. Dominis Suis Clementissimis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40272**

ILLUSTRISSIMIS COMITIBUS

AC DOMINIS,

DOMINO

# SIMONI HENRICO

COMITI REGENTI ET NOBILIORI DO-

MINO IN LIPPIA: LIBERO ET SU-

PREMO DOMINO VIANÆ, AMEI-

DÆ ETC. BURGGRAVIO

ULTRAJECTINO ETC.

AC DOMINO

# CASIMIRO,

COMITI ET NOBILIORI DOMINO

IN LIPPIA.

DOMINIS SUIS CLEMENTISSIMIS.

**P**Ræfens Opusculum , quod Illustrissimis ve-  
stris oculis contemplandum exhibeo, parum  
dignum videtur, si formam spectetis , quod  
tantis Nominibus offeratur , sed Argu-  
mentum ejusmodi est , quod sua se necessi-  
tate & utilitate commendat . Græcis &  
Romanis Legum conditoribus , de Republicæ salute  
maxime sollicitis , nihil olim prius & antiquius fuit ,  
quam ut a legibus matrimonii , quod omnis amoris  
principium , humanæque societatis est vinculum , exor-  
dium auspicarentur , qua in re Deum quadantenus sunt

DE D I C A T I O N E

imitati, omnium primam legem de Conjugio primis nostris parentibus promulgantem. Etsi, quæ illi de Nuptiis tradidere, ductu quodam naturæ, quæ nunc corrupta est & depravata, neutquam sint comparanda cum sanctissimis legibus Christianis, ut vel hoc doctissimis Viris optimum inter alia & dignissimum visum sit argumentum, ad probandam Religionis nostræ divinitatem, Scripturæque auctoritatem, quod de Conjugio Christus & Apostoli, nostrorum Sacrorum auctores ac duces, tam casta & pudica, primævæ Institutioni, & per consequens ipsi naturæ, in creatione fundatæ, congrua dederint præcepta, nullis potissimarum gentium legibus expressa, neque ullo hominum arbitrio profecta. Ideoque matrimonium contractum esse pure politicum, ab Ecclesiastico regimine nullo modo dependens, temere a nonnullis eo fine afferi videtur, ut circa illud pro arbitrio definiendi libertatem sibi sumant, qualem ne quidem ethnici legislatores, crassiscircumfusi tebris, civibus suis concederunt, quum hominis nunc natura proclivis sit ad libidinem. In Hebræorum Republica, quam ipse Deus ordinavit, sacrarum legum Interpretes, magno rerum divinarum usu instructi, Casus matrimoniales explicabant, & de divortio respondit Salvator, quem admodum hodieque Christianis, in vestro etiam Comitatu, laudabili more receptum, ut de Dubiis nuptialibus Responsa dent divini simul ac humani Juris Consulti. Nec ægre ferant causarum Patroni, si jura humana emendandi ex Pandectis divinis facultatem quandoque sibi sumant Theologi. Multi hodie jure naturali, & divino Veteris faltem Instrumenti (quod de utroque alii afferere non verentur) polygamiam licitam esse, scribunt & dictant, quia neque Juris naturæ, quod omnium animis a creatore insculptum, omnis æquitatis est fundamentum, neque legum divinarum, verum conceptum habent, & exempla male appli-

## DE D I C A T I O N E

applicare consueverunt, alii eandem veritatem, gladioque & capitaliter puniendam esse judicant. Ego in Dissertatione prima contrarium ivi demonstratum, tam quod sit illicita, quam quod non capitaliter plectenda, quamvis nullus dubitem, quin poenae pro circumstantiarum varietate augeri minuive possint a supremo Magistratu. Et varii casus a priscis ac recentioribus Juris Interpretibus vel permissi vel prohibiti sunt, qui hic aliter explicantur. Utrum v. gr. matrimonium cum novercæ filia, sive pri-vigna, cum fratri uxore & uxoris sorore, nec non divor-tium plures ob causas, quam ob solam fornicationem prohibutum licitumve sit, non nisi sacrarum literarum Interpretibus, sive linguarum peritis, rite judicare datum est. Quod autem Illustrissimis Vestris Nominibus, *Illustrissimi Comites*, hanc lucubrationem dedicare sustinuerim, causa me non impulit una. A Vesta Dignitate, antiqua Prosapia & Heroica indole auspicari, & majorum virtutes ac merita praedicare possem, de quibus vestri Annales, & Scriptores exteri fide dignissimi, refricare possem memoriam superioris sæculi, quomodo in Ecclesiæ post Cimme-rias tenebras e Babele egressu, pio zelo vicini Hassiæ Land-gravii exemplo, Lippiæ Comites Reformationem, ut optimi Ecclesiæ Nutritii, promovere omnem moverint la-pidem, & inter primas curas eam semper habuerint. Sed vestræ virtutes tali non indigent praœconio. Zelum Vestrum erga veram Religionem, haud ita pridem declarasti, dum novum Codicem Leiturgicum ab exteris etiam laudatum & comprobatum, publice edi voluisti, de nulla re magis solliciti, quam ut Ecclesiæ emendari, Ministerium sacrum, doctrina, disciplina, ritus, ordo omnis, ad normam Apostolicam constitui possent, & subditis præiustis exemplo, haud nescii, dignam esse vocem maiestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri, quemadmodum etiam Illu-

## DEDICATIO.

strissimæ Comites publica& domestica pietate & prudentia  
veræ Deboræ , Batsebæ & Priscillæ , Vobiscum junctis viri-  
bus, ut vitia in corruptissimo hoc seculo reprimerentur , al-  
laborarunt , quarum una eheu ! immaturo fato , non si-  
ne vestro duntaxat , sed & omnium subditorum tristi &  
acerbo luctu e terra viventium erepta. Ne dicam de ve-  
stra liberalitate , humanitate & beneficentia , quam ex-  
periuntur subditi Vestri , & exules ob Religionem sedi-  
bus suis pulsi & palati , quibus perfugium , præsidium &  
commoda hospitia decrevistis ; & nuper adhuc , *Illustri-*  
*sime REGENS*, hanc tuam humanitatem & clemen-  
tiam clamabant Tui Vianenses , quibus tuo suavi domi-  
nio velut lucem & animam reddidisti. Singularis illius  
clementiæ tuæ haud sum immemor , qua me indignum ,  
sub vestro Sole & in vestro Comitatu natum , quem tan-  
quam almam patriam meam semper impense dilexi &  
colui , honorifico muneri admoveare voluisti , & qua me  
non ita pridem prosecutus es , cum Alkoranum , quo  
Illustrissimus ac Generosissimus Filius *F. Christianus* nu-  
pera Budæ expugnatione , inter alia spolia à Turcis repor-  
tato , meam bibliothecam ornari voluit , benigne trans-  
mitti jussisti , spurcis quidem & impuris fabulis refertum ,  
a me tamen tanquam insigne & gratissimum *κειμήλιον* sem-  
per asservandum , cuius loco clementer hoc qualemque  
Scriptum accipias , Muhammedi Meccano , polygamiam &  
divortium concedenti , ex sacris Pandectis oppositum , sup-  
plex rogo. Te etiam , *Illustrißime CASIMIRE* , nunquam  
patrios visitans lares compello , quin clementiam , hu-  
manitatem , Illustrissimæ Domui vestræ hæreditariam ,  
& animi in me propensissimi indicia observem ; quemad-  
modum Illustrissimus & Generosiss. Filius natu minimus ,  
postquam in celeberrimo Batavorum Athenæo studio-  
rum tyrocinia egit , in præcipua Europæ regna peregrina-  
tionis

## DEDICATIO

tionis cursum continuaturus, hoc ipso die, gratiæ & favoris  
fai signa mihi dedit benigna sua præsentia. Causas edis-  
serui, *Illusterrimi Comites & Nobiliores Domini*, cur  
*Illustrissimis vestris Nominibus UXOREM CHRI-  
STIANAM* consecrandam duxerim, & cur publice  
profiteri voluerim, quod obsequium, quod studium,  
quam pietatem Vobis debeam. Deum ex intimis cordis  
penetalibus supplex veneror, ut Vos una cum Illustris-  
sima vestra Domo tanquam pupillam oculi sui protege-  
re & defendere, difficillimisque hisce rebus, suo Spiritu  
regere, & quam diutissime bono Ecclesiæ & Reipubl.  
conservare dignetur! Perscriptum Harderovici ipsis Idi-  
bus Augusti Jul. An. Æræ Dionys. M D C LXXXVII.

*Illusterrimarum Vestiarum Excellent.*

*omni cultu & obsequio*

*Observantissimus*

JOHANNES MEYER

L E